

[quod numquam tolerandum] et aperto spernant, ita et Deum, cui continuo inserviunt, adeo irreverenter habent, ut dedecentia plura ipsi perpetrare ne horreant. At sordida manu et, etsi munda, absque linteamine sacros tangere calices, S. Tabernaculum aperire ut an particulae sufficientes inibi habeantur se certiores fiant, vel inibi munditiam curent, S. Ostensorium, SS. Expositionis tempore, suo e loco amovere ut cerea mundent, et similia [haud casu recensita], numquam aedituis licita esse per se patet. — Praesertim vero ne in lampadibus coram SS. Sacramento lucentibus oleum et cuncta quae ad rem faciunt desint, perquam sollerter advigilandum. Quod, ut melius praesent, aliquoties in die [ut par est] Divinum Ecclesiae Hospitem invisat Parochus: quae, enim, aedituum inconsiderantia vel festinatio perpetrant, et casus ipse, interdum, prodit. — Tandem ut quoties ante SS. Sacramentum aeditui pertranseunt, genuflectant sedulo Pastor attendat, et generatim, ut in omnibus ac per omnia semperque adeo in Ecclesia ipsi se gerant, ut fidelibus omnibus aedificationi sint, studendum quam maxime.

V) Tandem aedituos erga, comis, patiens, benevolus, benignus et officiosus Pastor sit, quin tamen ullam ipsis concedat familiaritatem, qua, facillime, nunc et postea, in eius, Coadiutorum ac parociae detrimentum, abuterentur ipsi. Cautus, igitur, ac secreti sui tenax cum ipsis Pastor sit, ac constans officiorum suorum exactor, haud tamen durus aut morose imperiosus. — Quum vero plura quae in re devitanda sunt inter epulas praesertim haberi possint, in quantum Consuetudo fert, cum aedituis mensae socius numquam Pastor erit. Cum vero ad hoc necessitas cogat, Pastor ille qui infinita propemodum diceria in plebe haud excitare desiderat, perquam prudentissime in omni sua agendi ratione, se habebit.

## Articulus II.

### DE CULTU DIVINO IN GENERE ET AD REM MORALIBUS MEDIIS.

#### § I. — Quae a Pastore ac fidelibus in re curanda sint.

SUMMAE RERUM. — 227. Animadversiones praeviae. — 228. Praecipuae divini cultus qualitates a Pastore colendae. — 229. Quae ad rem in fidelibus curare ipse debet.

227. — Cultus externus quantum Deo gratus extet innumerae Veteris Testamenti caeremoniae legesque in re ab Eo editae, satis superque demonstrant, et quantum in Novae Legis pacto ei placitus existat, tum

ipsa cultus natura, tum actus qui illum comitantur, satis superque ostendunt. Dignus quippe est Deus accipere gloriam, honorem ac virtutem, ut Ei, per quem facta sunt omnia, etiam creaturae omnes serviant. Per externam, porro, religionis manifestationem, nostrum erga Deum amorem, gratitudinem, subiectionem, ac fiduciam contestamur, fitque ut per externum exercitium, interna sensa foveantur, et, humanis adminiculis, ad divinarum rerum contemplationem elevemur, atque, per visibilia religionis ac pietatis signa, in invisibilium amorem rapiamur. Sed et alios ad pietatem excitabimus, qui videndo opera nostra, meliora charismata imitabuntur, et Patrem qui in coelis est, glorificabunt. Quoad cultum divinum canones, generatim, edicunt:

Universaliter Ecclesia cultum suum publicum omnibus modis idoneis exercendi plenum ius habet. Horum integra determinatio, quoad necessitatem, vel opportunitatem, ad eam prorsus pertinet<sup>1</sup>.

228. — Praecipuae divini cultus externi qualitates a Pastore prae oculis habendae huc redeunt:

a) Dei cultus ipsi cordi quam maxime sit, quo pro Eius amore, decorem domus suae et locum sanctae habitationis suae sincere, ordinate, fortiter, discrete ac exemplariter diligendo ac colendo, suo pastoralis oneri in re satisfaciet.

b) Sincerus, igitur, Pastoris Dei cultus sit, nimirum non ad oculum serviendo, sed et ut per illum christifidelium animas ad superna elevet, ac ad quae conscientiae christianae Deum erga sunt officia persolvenda eos incitet: cultus, enim, externus, ad internum fovendum dirigi semper debet.

c) Ordinatus Dei cultus esse debet, scilicet, non ad vanam propriam pompam, sed ad Dei gloriam habendus, non ex suo arbitrio, sed iuxta ecclesiasticas leges, immo et iuxta peculiare diocesis ac parociae ipsis consonas consuetudines, excolendus.

d) Dei cultus sit fortis, nimirum, si in peculiaribus parociae consuetudinibus aliquid in re quod in ecclesiasticas leges peccet irreperit, [attentis circumstantiis] illud strenue fortiterque Pastor evellet, ut Ecclesiae mens, adamussim servetur incolumis. Quanta, enim, procedente tempore, in re abusus irrepere possint, tum experientia, tum complurima SS. RR. Congr. reformatoria decreta dicunt. At in re non phantasiae superstitionique, sed tum generalibus totius Ecclesiae, tum peculiaribus dioecesis ecclesiasticis legibus serviendum, ne

<sup>1</sup> Cfr. Cavagnis, *Op. et loc. cit.* n. 196 et seq.

multitudo fidelium per devia vagando itinera, falsae pietatis specie, erroneam conscientiam sibi efformet, culpasque inepte multiplicet.

e) Dei cultus adeo discretus sit, ut tum in sacrarum functionum numero, tum in tempore ipsis impendendo illud non multum, sed multa locum obtineat, scilicet quae necessaria sunt primum, quae vero congruentia postea exhibeantur. Cum autem aliquid ad meliorem normam reformandum sit, nec omnia, nec statim emendanda, sed fidelium instructione praemissa, sensim sine sensu, parandum.

f) Tandem cultus exemplaris sit, nimirum:

1. Circumstantiis attentis, ut, semper cuncta ipsi necessaria ne desint, et praesertim in solemnibus ac maioribus Festivitatibus, et congruentia habeantur, sedulo Pastor curabit, qui ad fidelium generositatem fovendam augendamque nihilo, heic quoque, quam eos praecedendo, validius uti potest. Parochus, enim, ille qui in divino cultu avaritiam prodit, praesertim si dum cultui sacro sordide, in se prodigaliter se haberet, haud Pastoris nomen meretur. Attamen haec omnia facile devitarentur si quae praecedenti sub numero recolimus, exacte servarentur. Nil, enim, mussitationes ac ab ipsa Ecclesia aversiones fovet magis, quam tum publica, tum privata ac nimis frequens elemosynarum sollicitatio ac importuna quaeritatio, praesertim si de non necessariis ac certe congruentibus haberetur.

2. In quantum licet, aestheticae artis praecepta serventur, quae ut in quibusdam adornandis Ecclesiis, iam architecturae, picturae et sculpturae manufactis perinsignibus, vel omnino absterneantur, vel parco et optimo agatur gustu, enixe postulant. Semper vero in Sacris Templis omnibus, tum temporaneis, tum stabilibus ornamentis, quidquid profanum, quidquid haud sacrae loci indoli consonum sapit, ab ipsis continuo arcendum, ut religiositati parcatique inserviat.

In Deum amore flagret Pastor, et quae in eius cultu peragenda sunt, nullo negotio, perficiet: Eius tantum pro gloria, non vero ad vanam speciem, vel ad transeuntem popularem sibi captandam auram, heic quoque, adlaboret, et quae in re devitanda sunt, sedulo devitabit.

229. — Ad cultum a fidelibus in Ecclesia Deo recte praestandum, apta externa eorum agendi ratio quam maxime pernecessaria censei debet, in qua se nunquam fecisse satis Pastor bonus arbitrabitur. Ex ea, enim, tum spiritualis eorum profectus, tum ceterorum aedificatio, ac loci sancti veneratio plurimum pendent. Idcirco, in quantum fieri potest ac consuetudines sinunt:

a) Viri a foeminis, prisca iuxta statuta, adeo separentur ut primi

propius ad altare maius, feminae vere longinquiores adsint. Hac ratione et illud tristissimum, puellarum, nimirum, ac iuvenum consuetudo devitabitur quae, uti patet, si semper, praesertim in Ecclesia compescenda, immo et auferenda. — Cum vero haec sexus separatio haud liceret, ne tum viri, tum, et praesertim, mulieres, presbyterium ingrediantur inibique sedeant ac commorentur, semper satagendum est.

b) In quantum licet ac consuetudines ferunt, peculiaria in Ecclesiae subsellia fidelibus ne distribuantur, et si aliter fieri non possit, ut gratis, vel saltem modica taxa [ut plurimum, Synodo statuta] percipiatur, ne mercationi inserviri videatur, necesse omnino est. Ne vero incommoditatis praetextus quidam adducere possint, ut scamna ordinario fidelium numero congruentia in Ecclesia habeantur, omnino pernecessarium. — Haec vero quae, uti privilegiata ac iuris patronalis ad instar perpetuo inibi statui solent, vel coetera unicuique propria quae saepius inibi constituuntur, uti Ecclesiae servitutes omnes, adeo cautissime permittenda, ut prima perpetua absque Ordinarii venia ne admittantur, de altera vero postulantium personarum, loci Ecclesiae ac praexistentium prudens ratio habeatur. Complurimas mussitationes ac muliebres jalousias ex hoc oboriri, omnes in comperto habent.

c) Ut in Ecclesia nulla sit distinctio quoad locum inter fideles nobiles et ignobiles exoptandum praeterea est: omnes, enim, sunt christiani eodem Christi sacramento regenerati<sup>1</sup>. Attamen, ad majora avertenda damna, contrarium aliquando toleratur<sup>2</sup>.

d) Cum Ecclesia vere Dei domus, necnon locus in quo D. N. I. C. inhabitat sit, exemplo et verbo providere, ut sacris aedibus debitus reddatur honor, praecipua uniuscuiusque Pastoris cura esse debet. Saeculares, igitur, deambulationes, strepitus ac clamores [quae neque profanis in locis admitti consuescunt] ac quaelibet irreverentia, ut Dei domus vereque orationis domus Ecclesia dici possit ac esse videatur, ab ea arceantur. Ne, igitur, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi deprehendantur peccata commissa, quaecumque Divinae Maiestatis oculos offendere possunt, a sanctis hisce locis, sint omnino extranea. Praesertim vero ut inibi silentium ab omnibus servetur advigilandum quam maxime, et ne adhuc tenelli infantes ad rem divinam ibi apportentur, ne, forsitan, adstantium devotio distrahatur, curandum. De turpissimo vero abusu, canes in Ecclesiam vel sacristiam secum adducendi, illud adeo dedecet, ut non sit quod ulterius admoneamus.

<sup>1</sup> S. C. P. F. ad Super. Mission. Malabar. 9 april. 1793.

<sup>2</sup> S. C. P. F. 7 jan. 1778.

e) Ut hygienicas normas inibi servent fideles Pastor commoneat, qui, igitur, pavementum conspuere, ac illud quoquomodo foedare ac coetera similia devitabunt quam maxime.

f) Tandem et quomodo res se habeat de Ecclesia ad extra Pastor curabit, qui, idcirco, eius fundamenta ab omni herba ac spurcitia immunia servabit. Eius vero in sacramento, ac praesertim dum sacrae functiones habentur, nequaquam ludos scurriles, saltus, strepitus clamoresque inconditos, ac nundinarum negotiationes Pastor tolerabit. Consuetudo vero illa qua, dum sacra aguntur, iuvenes in plateam Ecclesiae commorantur, quantum dedeceat, nemo est qui non videat. Sed de hoc alibi<sup>1</sup>.

## § II. — De Sacra Liturgia ac Musica sacra.

SUMMAE RERUM. — 230. Animadversiones praeviae. — 231. De sacrae liturgiae cura in Coadiutoribus ac altari deservientibus omnibus Pastori suadenda. — 232. Quoad musicam sacram SS. D. N. Pii PP. X leges recensentur. — 233. De fidelium cantu.

230. — Christi Sponsa Ecclesia, regis filiae circumdatae varietate, congrue, comparatur. Ritus, enim, illi et caeremoniae sacrae quibus utitur, velut totidem aureae fimbriae variegatae quae maximum decorem, gloriam et honorem illi conciliant, iure meritoque, haberi debent. Enimvero, licet praecipua huius Sponsae regis filiae gloria ab intus sit, [in donis, scilicet, coelestibus, et interiori sanctitate consistens] atamen per hunc caeremoniarum et sacrorum rituum decorem, eius interior pulchritudo magis magisque omnibus, mire, clarescit. Veluti totidem, enim, pulcherrimi diversi coloris flores, quibus sacra actio apte exornatur, ipsi sunt. Hinc est quod fideles meliorisque notae Ecclesiae ministri, ecclesiastico pollentes spiritu, adeo sacros ritus semper et ubique maximi faciant, ut quod vel minimum punctum hos scienter et voluntarie offendant, exactissime devitent. Sed [quod numquam satis dolendum] quidam, potiusquam devotioni ac divinae reverentiae, adeo festinationi studentes, ut quibus praeclaris cum hominibus haud uterentur rationibus, nullo negotio erga Deum adhibent, habentur. Qua agendi ratione, dum Domini reverentiam negligunt, et christifidelibus [qui intentis in Pastoris opera oculis, omnia sedulo perscrutant, quae non semper misericorditer diiudicant] scandalum praebent. Ne dicam de mala, quae de divino culto Deo praestando eorum in animis, existi-

<sup>1</sup> Cfr. indic. alphabetic., *Ecclesia. Functiones.*

matione hac ratione fovetur. Sacrae, igitur, liturgiae ac in singulis caeremoniis perscrutandis significationibus, fideliter studeat Pastor, quo actiones haud sensu vacuas, se complere in comperto habebit. — Insuper, quum ad altare accedit, divinae praesentiae in se memoriam excitet, qua se non hominibus, sed Deo, inservire facilius suadebitur. Quae vero in sacris peragendis functionibus sacrae liturgiae summa praecepta sint, ad singula indigiabimus.

231. — Nec satis, sed ut et Coadiutores suos in re Pastor advigilet emendetque quam maxime suadendus. Hos, enim, iuventutis ardori, potiusquam devotioni, interdum, inservientes, in re plurimum peccare, quotidiana experientia docet. — Immo ut et bonae indolis pueri altari ministrantes, caeremonias discant ac adamussim servent curandum; quod patienti instructione primum, ac prudenti emendatione, dilaudatione ac praemiis deinde, facile assequetur. Huius muneris momentum, igitur, ipsis recolendum, animi corporisque tranquillitas ac modestia illis suadenda, et praesertim ne tum verbis, tum operibus festinationi studeant, quam maxime advigilandi. Attamen nil fucatum, nil fictum ac solemne nimis habeatur, sed omnia veluti sponte naturaliterque agantur.

232. — Tandem et musica sacra in liturgia servanda non postremum locum obtinet, in quo, si quod sentimus libere aperire licet, plurimum sane peccatur. In re quae SS. mi D. N. Pii PP. X iussa sint<sup>1</sup> audiantur:

### a) Quoad musicam in se spectatam:

I. Musicae sacrae finis in gloria Dei, ac christifidelium aedificatione comparanda continetur, ad quem assequendum ut sancta, vera ac universalis ipsa sit oportet. Nimirum: sancta, idest quae tum in se, tum in ratione qua habetur: quidquid profanum sapit excludat; vera, nimirum, adeo a genuina arte procedens ac in ipsa exulta ut audientium animos sancte percellat: universalis, idest, tam in se sacra, ut, quamvis peculiaribus Nationum consuetudinibus inserviat, attamen in omnibus etiam coterarum Gentium audientibus haud parum aedificationis pariat.

II. Hae qualitates omnes in musica gregoriana reperiuntur, quae, itaque, in Ecclesiis omnibus quam maxime in honore esse debet. Neque musicae genus illud quod poliphonicum dicitur et a Palestrina excultum, posthabendum, nec recentiorum scholarum compositiones prohibentur, dummodo tamen nil, etsi per transennam,

<sup>1</sup> Motu proprio, *Tra le sollecitudini*, 22 nov. 1903. — Cfr. Eiusd. epist. ad Em. Rampolla, die 14 nov. 1911; Epist. *Societ. Cecilian.*, 1. nov. 1903, ad Card. Coloniens.: *Littera* ad Joseph. Potier, O. S. B., 14 febr. 1904; Motu proprio,

*Tutte le istituzioni umane*, 20 jun. 1905. Motu proprio, *Col Nostro*, 25 april. 1904; S. R. C., 7 jul. 1894; Id. 25 jan. 1911; Id. 24 febr. 1911; 17 maj 1911; Epist. Secret. Status, ad A. De Santi S. I., 26 dec. 1909.

prophanum et, praesertim, nil theatrale redoleant. Ad rem Ordinarii auctoritas seu commissio diocesana consulatur.

b) Quoad textum liturgicum:

I. — Sacris in functionibus quascumque ac praesertim variabiles vel communes missae aut sacri officii partes, in lingua vulgari canere omnino vetitum.

II. Sacrorum textuum ordo servetur, ne contrahantur vel, rubricis id non permittentibus, ne omittantur. Post missae sollemnis Benedictus, necnon post missae offertorium ut quodam canticum ex verbis ab Ecclesia adprobatis depromptum habeatur permittitur.

III. Textus liturgicus fideliter, ulla absque transpositione, repetitione, syllabarum laceratione, et semper intelligibili ratione canendus.

c) De externa sacrarum compositionum forma:

I. Singulae missarum, vel psalmodiarum partes ideam ac formam illam quam ecclesiastica auctoritas ipsis impertitur servare debent.

II. Kyrie, Gloria, Credo Missae, compositionis unitatem textui propriam, adeo servent ut eas separare ne liceat.

III. In vesperarum recitatione cantus gregorianus pro psalmodia, musica vero figurata pro Gloria Patri ac hymno adhibeantur. Attamen maioribus in solennitatibus gregorianum chori cantum cum falsis bordonibus, convenienti ratione compositis, alternare licebit. Item de quibusdam psalmis musicali more integre canendis, dummodo formam psalmodiae propriam servent. Itaque psalmi, uti aiunt, ex concerto semper vetiti sint.

IV. — In hymnorum compositione eorum a traditione praefinita forma, servetur.

V. Vesperarum antiphonae melodia gregoriana ipsis propria exhibeantur neque, interdum, musicali ratione concertus vel similes formas cani ne ferant.

d) Quoad cantores:

I. Si melodias celebrantis eiusque ministrorum proprias excipias, quae absque organo in cantu gregoriano cani debent, coetera omnia ecclesiae cantoribus spectant. Vox vero sola non excluditur, sed sacris in functionibus ne primas partes obtineat.

II. Mulieres uti choristae excludantur<sup>1</sup>, et si [uti aiunt] acutae desiderentur voces, ex pueris eligantur.

III. Probos ac pietati addictos homines qui, modeste et devote, sanctum cantorum munus apte exerceant eligantur, et in Ecclesia canentes, ecclesiasticum habitum vel saltem amictum quoddam si licet, induant<sup>2</sup>. Si vero a fidelibus nimis conspiciantur, gratibus celentur.

e) Quoad organum ac instrumenta:

I. Quamvis musica Ecclesiae vere digna vocalis sit, attamen et organum adhibere licet, necnon quibusdam in adiunctis, de Ordinarii consensu, et quaedam alia instrumenta<sup>3</sup>. Sed cantus semper primas habere oportet; instrumenta vero eum sustineant, sed numquam illum opprimant. Prolixa praeludia praemittere cantibus, vel eos interrumpere, ne liceat.

<sup>1</sup> Cfr. S. C. P. F., 6 jul. 1874; S. R. C. in *Truxillo*, 17 sept. 1897; in *Plocens*, 19 febr. 1903.

<sup>2</sup> Cfr. S. R. C. in *Urgellens*, 22 apr. 1871.

<sup>3</sup> Cfr. S. C. R., 11 maj 1911.

II. Organi sonus quum comitatur cantus, quas ex sua natura habet rationes, et omnes musicae qualitates superius enumeratas servare debet<sup>1</sup>.

III. — Clavicembalum, rumorosa ac nimis levia instrumenta ne adhibeantur<sup>2</sup>. Musicales Societates [*bande*] ab Ecclesia excludantur, et pauca sed accurate selecta ex ipsis instrumenta, quae graves, convenientes et organi styli compositiones redoleant, cum Ordinarii venia, quibusdam in adiunctis, admitti possunt. — In processionibus extra Ecclesiam ductis, harum Societatum opera adhiberi potest, dummodo prophana ne exequantur, et ab Ordinario permittantur. Si hae vero quemdam spiritualem canticum tantum comitentur, melius erit.

f) Quoad musicae amplitudinem:

I. — Cantus vel sonus ne adeo protrahantur ut sacerdos celebrans plus quam par est ad altare expectet. Missae Sanctus antequam SS. Sacrificij elevatio habeatur, explendum; pars vero Benedictus post consecrationem canenda: Gloria ac Credo breves sint.

II. Generatim, gravissimus uti abusus, illa agendi ratio devitetur qua in sacris functionibus peragendis liturgia uti musicae ancilla fit, quum, e contrario, primam ut dominam, cui altera famuletur oportet, rectus ordo haberi requirat.

g) Ad harum ordinationum praxim quod attinet:

I. — Peculiarem musicae sacrae commissionem suis in dioecesi instituant Episcopi. quae in musicis, ac in cantorum opera in Ecclesiis habenda, vigilent.

II. — In seminariis ac institutis ecclesiasticis, cum diligentia ac studio, gregorianus excolatur cantus, et, ubi res sinunt, Schola Cantorum instituat. In communibus liturgiae, moralis et iuris canonici praelectionibus clericis habitis, praecipua hus instructionis iussa recolantur.

II. — Praecipuis saltem in Ecclesiis, veteres Cantorum Scholae instaurentur, et Superiores musicae Sacrae Scholae condantur ac, quantum fieri potest, adiuventur. Cuncta, enim, quae hoc in motu proprio continentur, omnibus quorum interest, quam maxime cordi esse debent<sup>3</sup>.

h) In missa solenni aliisque functionibus, iis quoque in Ecclesiis quibus organi magister vel cantorum carentia habetur, non licet uti machina grammophone, pro cantu stricte liturgico gregoriano, partium variabilium missae sollemnis, hymnorum et aliorum cantuum<sup>4</sup>.

i) Preces et hymnos liturgicos p. g. Introitus, Communio, hymnus *Lauda Sion* a musicorum choro, sive in privata Missa, sive coram SS. exposito lingua vernacula canere vetitum<sup>5</sup>.

Pontificiis memoratis iussis, [quibus adeo fideliter insistere oportet ut, in quantum licet, adamussim ab omnibus serventur] hoc unum recolendum Pastoribus, nimirum, ut profanarum musicarum loco, saltem silentium sufficiant: quantum, enim, Sanctum illae de-

<sup>1</sup> Cfr. S. R. C., decret ab Ojetti, *Op. cit.* ad verb. *Musica sacra*, relatum.

<sup>2</sup> Cfr. S. R. in *Compostell.* 13 nov. 1908.

<sup>3</sup> SS. D. N. Pius PP. X, Motu proprio, *Tra le sollecitudini*, 22 nov. 1903, ad verb. relatum.

<sup>4</sup> S. R. C. in *Squillac.* 11 febr. 1910.

<sup>5</sup> S. R. C. in *Boscoducens*, 31 mart. 1909, ad X.

deceant locum, pontificia verba satis ostendunt. Ceterum et in parvis oppidis, paucos eligere ac instruere cantores qui praecipua saltem musicae gregorianae elementa addiscant ac ad praxim deducant, bonae voluntatis hominibus haud difficile erit.

233. — Ad divini cultus decorem augendum, et religiosos animi affectus tum exprimendos, tum fovendos, fidelium cantus plurimum confert, quem ipse Apostolus commendavit desiderans ut *fideles loquantur sibi metipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus suis Domino*<sup>1</sup>. Quapropter ut *in quantum fieri potest, gregoriana ratione, frequentius ac sollertius ecclesiasticis ipsi participent ritibus, quam maxime studendum*<sup>2</sup>. Attamen *viri a mulieribus et a puellis omnino sint separati, vitato quolibet inconvenienti*<sup>3</sup>.

Hisce coeterisque [quae facile subaudiuntur] industriis omnibus, dum gravi suo muneri satisfacit Parochus, et pastoralis suae sollicitudinis testimonium tum Deo, tum christifidelibus adeo ipse praestabit, ut, omnino recte, cum Regio Psalte cecinere valeat; *Dilexi decorem domus tuae, et locum sanctae habitationis tuae*<sup>4</sup>.

### Articulus III.

#### DE DIVINO CULTU IN SPECIE.

##### § I. — De consuetis Sacris Functionibus.

SUMMAE RERUM. — 234. Animadversiones praeviae. — 235. Quae quoad tempus ac modum sacras peragendi functiones prae oculis Pastor habere debeat. — 236. De paroeciali, seu conventuali missa et de proclamationibus inibi faciendis. — 237. De Vesperis canendis. — 238. De SS.mi Sacramenti benedictione. — 239. — Quaedam magni momenti animadversio. — 240. Conclusio.

234. — Sacras, sed consuetas, cultus functiones paroeciali in Ecclesia peragendas dicimus illas quae, ordinariis in adiunctis, iuxta canonum praecepta, dioecesium ac paroeciae consuetudines, in dominicis ac diebus festis a Pastore peragi debent, et quas, perspicuitatis causa, in eas quae ante-meridiem ac post-meridiem haberi solent dispescimus. Sed in primis et ante omnia quaedam preliminaria praecedant.

<sup>1</sup> Ephes. V, 19.

<sup>2</sup> Pius X. Mot. Propr. *Tra le sollecitudini*, cit. — Cfr. Instruct. Vicariatus pro Urbe, 12 febr. 1912.

<sup>3</sup> S. R. C. in *Neo-Eborancens.* 18 dec. 1908.

<sup>4</sup> Psalm. XXV, 8.

235. — Ut in omni divino cultu exercendo, ita, et praesertim, in sacris peragendis functionibus, tum in tempore, tum in modo perquam sollicitus sit Pastor, ne, suae negligentiae causa, ab ipsis frequentandis arceantur fideles. Igitur:

a) Quoad tempus, id quod praescriptum est adeo fideliter Pastor servet ut quascumque alii generis occupationes etsi sanctissimas [utpote confessiones] statim intermittendo, statutis totum se dedat. Si, enim, in re adeo claudicetur ut horarum statutarum ordo, plus minusve violetur, impatientiae causa fidelibus erit, qui, mussitent, alibi se conferrent, vel, [quod saepius] dominica munera debitaque posthaberent.

b) Quoad modum, adeo functiones cunctas Pastor peragat ut, aedificationem in plebe pariat. Idcirco tum nimiam prolixitatem, tum festinationem nimiam sedulo devitando, quidquid divini officii peragendum sit, gravitate maiestate, debita perficiat. Sacrasque itaque ceremonias ne mutilet abruptatve, sed loci ac sui officii sanctitatis memor, tranquilla ac veneranda ratione omnia peragat. Quomobrem, paramenta inepte hinc inde gestare, clericos publice arguere, oculos hinc inde vertere, pro minoris rebus momenti quietem amittere, vera absque necessitatis causa spuere, nicotianum pulverem haurire, et cum uno alterove ministro verbum facere, quam maxime devitabit. Coetera in re plura subaudienda velimus.

236. — Inter communes sacras functiones ante-meridiem peragendas, paroecialis seu conventualis missa primas partes obtinet, quae, ut plurimum, personale Parochi onus est, qui sacrum pro populo faciendo ac eum adhortando<sup>1</sup>, gravibus suorum munerum obligationibus satisfacit. Hac in re, quae de missa alibi recolebimus, necnon coetera quae de sermonibus ad populum alibi dicemus, prae oculis Pastor habeat. Hoc unum memorabimus, scilicet, ne bannorum, ieiuniorum, indulgentiarum ac festorum in hebdomada occurrentium, proclamationes omittat, in quo, consuetudinibus servatis, breviter, perspicue, complete ac opportune se habebit. Si, enim, brevitatis deficeret, confusione esset locus; perspicuitas vero ad proclamationis finem in gente, ut plurimum, dura cervice praedita, obtinendum pernecessaria; integritas seu perfectio si desit, quaedam tantum enunciando, plura et, forsitan, necessaria Pastor omittet. Tandem, opportunitatis gratia, tum in re, tum in verbis quae tacenda sunt tacebit; quod si negligat, medicinam im venenum verteret. Ad hoc, parvo in libello, ad rem expresse confecto, quae fidelibus communicanda sunt in tempore inscribere, valde iuvabit, quo et haud aedificationis illud devitabit Pastor, qui sacra facturus, inter

<sup>1</sup> Cfr. SS. D. N. Pius PP. X Encycl. *Acerbo nimis*, 15 april. 1905.